

Disputatio theologica de
Theodori Bezæ Calviniani
exceptionibus circa
exsec...

Svenonius, Enevald,

11 Ae 8:o



IN NOMINE JESU!
DISPUTATIO THEOLOGICA,
De
THEODORI BE-
ZÆ CALVINIANI EX-
CEPTIONIBUS CIRCA
EXSECUTIONEM BONI
ET MALI.

Quam

Dei O. Max. Auxilio,

In Regiâ Academiâ Aboënsi,

Cum consensu Rev. Facult. Theologicæ,

P R Æ S I D E

E NEVALDO SVENONIO,

Q. G. A. S. S. Theol. Doct. Prof. Prim.
& Pastore Ecclesiæ Aboënsis, nec non
h. t. Acad. Rectore.

Defendere conabitur

JOHANNES Kankel / Gedanensis.
S. R. M. Alumnus.

In Audit. Max. die 7. Decemb. Anno 1678.

A B O Æ,

excusa à PETRO HANSONIO, Acad. Typogr.



S:^æ R:^æ M:^{tis} fidelissimo

V I R O,

Generosissimo ac Nobilissimo DOMINO,

DN. HARALDO

G E E /

DN. de Brynöd ac Sadehult/ &c.

Amplissimæ Dynastiæ Aboënsis,
Biörneburgensis ac Alandiæ Præfecto
ac Satrapæ Regio, Mecœnati & Pa-
trono meo Magno :

Salutem & Perennem felicitatem!



Uam difficilis arduusque sit adieu
Generosissime Domine, in humanâ
hâc societate ad honestè sibi eorum sin-
gularem & propensam conciliandam gratiam,
in quibus præ ceteris Virtus, Auctoritas,
majorum propriaque præcipuè eminent Gloria,
ipsa rerum optima magistra Experientia, ir-
refutabilis manet testis. Plus illicò impedi-
menti quàm adjuncti præsto est. Varie que-
ren



venti occurrunt salebrae, per plurimaeque re-
mora. Nec minus difficile est, quaesitam ac
conciliatam contra malevolentium phalan-
gem feliciter tueri justisque ac honestis am-
plificare mediis. Solertiâ cum rectâ conscien-
tiâ opus. Absit hypocritica ac perniciofa adu-
latio. Dicta & facta prudens ac modesta regat
Veritas. Porro maximè omnium mihi videtur
difficilimum justam debitamque beneficiis re-
ferre gratiam, siquidem beneficiis cumularo
statim de reddendo cogitandum est, simulque
mihi id ipsum dicit illa Sapientia, quæ sva-
vissimis hominem informat virtutibus. Tuum,
Mecænas propensissime favorem quaesitum,
Divinâ sic gubernante Gratiâ, indignus inve-
ni; inventum servare cupio, opto atque nitar.
Hoc autem graviter me habet sollicitum, quo mo-
do quibusve mediis summa tua erga me gra-
tiæ justè respondere queam, hoc opus, hic labor
est. Tot favoris in me proni existunt indicia,
tot benevolentiae testimonia, tot beneficentiæ
signa, ut enumeraturo mihi multitudo plu-
rima subducatur. Oculatus erit restis Trienni-
um illud, quo jam inclytata tua Domus me be-
nignè tenuit & sustinuit. Laudant tuum
erga me animum Viri, qui in ipsa laude vi-
vunt, Praeceptores mei aetatem observandi.
Prædicant cum votis parentes omnesq; mihi be-
nevolentes. Num ego ipse sileam? Me arum sanè
erit parvum, non eant in hacce secreta astima-

atione pensitare & agnoscere, sed etiam palam
ante oculos multorum, gratitudinis quandam
victimam pro facultatibus eedere. Offero igitur
Tibi, Generosissime Mecenas, Theologicum
hocce Exercitiū Academicum, sub gravissimo
Theologo, Deum ab omni specie mali contra
hereticos vindicante, habitum, ut grati animi
signum pignusque multi obsequii certissimum.
Vive quidem si ex tua dignitate, magna
tamen si ex mente spectetur; Verèque confi-
teor hujus munusculi vilitatem, me fluctuan-
tem animo ab hoc ausu ferè deturbasse, si
non firma spes tui favoris, non tantum quid,
quàm quo animo aliquid fiat prudenter spe-
ctare soliti, omnem dubitationem eximens,
stimulum ac calcem rei faciendæ addidisset.
Excipe itaque levidense hocce munus, manu-
menteque submissâ oblatum, animo benigno,
meque infelici hocce seculo varijs fatigatum
malis, propitio ac favente aspice vultu, hoc
Tibi gloriosum officium, mihi que suave erit
subsidiū. Interea bene Vale, Domine Ge-
nerosissime, Deo, Regi, Patriæ Familiæq; Tuæ
in multos annos Vive!

Sic animus voveo, vovereq;
nunquam desino.

Tuæ Generositatis.

Humillimus cultor.

J. R.

Sequitur Argumentum
Quartum.

Disput.
XII.
Resp.
JOH.
Kantel
Geda-
nensi.

§. I.

Concludens omnes sub pec-
catum ut omnium miserea-
tur ; is neminem vult perire :
Atqui Deus concludit omnes sub
peccatum ut omnium misereatur.
Ergò Deus neminem vult perire.
Maj. prop. à nostratibus reducitur ab
hypothesi irrevocabili ad thesin quoq;
veram. Minor extat Rom. 11: 32. Gal. 3: 22.
Respondet Theodorus Beza Resp. 2. ad
Colloq. Mompelg. pag. 222. his verbis:
Rom. 11. Contextus ipse perspicue ostendit,
Apostolum ibi non agere de singulis homi-
nibus per se : sed humanum genus distri-
buere voluisse in duas partes, nempe Judæos
et gentes, ex quibus suam ecclesiam collig-
it Deus per misericordiam : quum et hi et
illi digni fuerint perire : ut nemo, qui serva-
tur, aliter quam per misericordiam servetur,
quia quod dicitur Deus omnes conclusisse sub

Z

in-

incredulitate: probat quod asserimus, nempe, n̄ que nolente Deo, neque temerè homines in hanc miseriam incidisse: cujus tamen rei culpa omnis in hominis lapsum voluntarium, & ejus posteros sic peccato mancipatos conferranda est.

§. 2. Observat hanc antithesin B. Du. D. Jacobus Andreas cum D. D. Wirtembergensibus, his verbis:

1. Verba Pauli adeò manifesta sunt, ut nulla interpretatione indigeant, quum inquit: Concluserit Deus omnia sub peccatum, ut omnium misereatur. Sicut enim non dicit: Concluserit quosdam sub peccatum, sed inquit omnia: Sic quoque non dicit, ut quorundam, sed omnium misereatur, ut ostenderet suam misericordiam omnibus seriò offerri, & Deum velle, ut omnes credant & salventur, sicut omnes peccaverunt.

2. Hæc assertio simpliciter impia est, & auditu horrenda, adeoque expresso

§.

Et revelato verbo Dei contraria. Quic-
 quid enim Deus prohibet, hoc non vult
 ut quisquam faciat. Nolente ergo Deo,
 Et non, volente, sed contra ipsius vo-
 luntatem primi nostri parentes trans-
 gressi sunt præceptum in paradiso tra-
 ditum, Et in hanc miseriam inciderunt.
 Sic docet Spiritus Sanctus in scriptura
 sacrâ, Et qui aliter docet, si Angelus è
 coelo esset, anathema sit. 3. Si ve-
 stra doctrina vera est, culpa omnis non
 in hominem conferri posset, sed in
 Deum creatorem, qui (secundum ve-
 stram opinionem) absoluto decreto suo
 eos ad peccandum Et damnationem
 creavit Et ordinavit, ut qui noluerit eos
 aliter agere, converti aut salvari, quod
 auditu horrendum est Et abominandû.

§. 3. Responsio Th. Bezzæ ad obser-
 vat. D. Andreæ.

1. P. ii non potest D. Andreas ut in isto
 Pauli dicto, Conclusit Deus omnes in

contumaciâ ut omnium misereretur, dicatur Paulus de universitate Electorum (quales omnes in ministerio ordinario esse præsuntur) in duas hominum species, Judæos videlicet & gentes, distributâ loqui, quod de singulis potius omnium populorum hominibus, nullo penitus excluso, vult intelligi.

§. 4. Respondeo ad Responſionem Bezae invictis hisce documentis :

a. Quoscunque Deus conclusit sub incredulitate, eorum omnium vult misereri, Rom. 11. v. 32. Sed non solum Electos, verum etiam Reprobos conclusit Deus sub incredulitate, Rom 2:12. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Ergo Deus eorum omnium vult misereri, omnesque in univēsum singulosque homines salvari.

β. Apostolum loqui de hujusmodi sub peccatum conclusionē, quæ sit per
scri-

scripturam, Gal. 3: 10. *Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in Libro legû, ut faciat ea.* At quia hæc ad singulos pertinent; ideoque in opposito membro voluntas miserendi dilatanda quoque ad singulos erit.

γ Exclamat Apostolus v. 33. ad hunc allegatum locum: *O Altitudo Divitiarum!* At si glossæ *Calvini & Beza* veræ sint: *Deo volente & decernente, homines peccatis conclusos, ut aliquorum miseretur;* non forent ita benigni patris cœlestis extolendæ in genus humanum *Divitiæ*; sed deplorandæ crudeliter illatæ miseriæ, tum quod plerosque æternæ damnationis retribus implicasset; tum quod aliquos eosque paucos saltèm, ex universis & omnibus quos fecisset malos & miseros, tantummodò liberaret. Rectè etenim *Divus Augustinus Lib. 3. Confess. c. 2. & Lib. 1. ad Montanum c. 22.* Malevolam hanc esse benevolentiam, dictavit, quæ aliquem miserum esse velit, ut ejus miseretur. *B. Fulgentius* similiter in suis scriptis passim, non dubitavit, hujusmodi

ab Adversariis Deo attributam misericordiam, immisericordem & crudelem pronunciare.

¶ Quandoquidē adversarii torqueant hunc locum ad probandū lapsum hominis accidisse volente Deo ac decernente, ut supra demonstratum est; ideoq; eo ipso ipsimet prius hujus loci membrum necessariò intelligunt *Universalitèr*; addeòque alterum membrum priori parili ratione correspondens non debent non *Universalitèr* intelligere; nisi Sycophantarum more procedere malint.

¶ Ut tandem taceam, hanc etiam sequi & fluere ab *Inter Deos* adversariorum, ingentem absurditatem, ne dicam, palpabile mendacium. Solos Electos sub peccatis à Deo esse conclusos.

¶ §. 5. Pergit Beza allegato loco admodum impudentèr: *At ego, ait, divinitus factum puto, ut iste hunc locum citaret quo manifestissimè falsitas hujus interpretationis redarguitur. Primum enim tota Pauli eo in loco instituta disputatio tam aperte istud ostendit, nempe de generibus singulo-*

gulorum, non de singulis generum illic agi, ut
 mera sit perveracia de istâ re controversiam
 velle movere. Et, quinam Apostolus hâc
 sententiâ subverteret, quod toto cap. nono ad
 singulos Judæos pertinere negavit, & prolatis
 exemplis Ismaëlis & Esavi, probavit, ad solos
 promissionis filios, quos vocat, id est promissio-
 ni destinatos, spectare. Nec enim vel in
 Electorum fide, vel in reproborum increduli-
 tate subsistit, sed ad summam usque Dei
 voluntatem ascendit & lectorem reducit.
 At hujus certè Altitudo nulla est quod ad re-
 probos attinet, si ut damnationis, ita etiam
 reprobationis decreti causam, sive corruptio-
 nem sive incredulitatem, sive quippiam a-
 liud in ipsis habens statuas, cujus pravis sit
 in Deo ~~causa~~ ~~causa~~ ipsius decreti causa.

§. 6. Respondeo ad responsionem Beza:

1. Confundit Adversarius per fallaciam
 & dolum plures interrogationes: quia
 in allegato loco capituli II. quæstio est
 de voluntate & beneplacito Dei, quo
 delectatur & vult omnium & singulo-
 rum hominum misereri, quæ voluntas
 à nobis solet nuncupari Antecedens, & est

quædam quasi potentia. At cap. 9. agit de Actu ipso divinæ misericordiæ, quæ à nobis vocari voluntas *consequens* solet: nam licet *antecedentèr* procurando media salutis, omnium & singulorum velit misereri Deus, si credant Evangelio & agant poenitentiam; tamen *consequentèr*, quia non omnes suscipiunt salutis media, Evangelio scilicet credunt & convertuntur; hinc demum fit per Dei justitiam, quòd omnium actu non misereatur. Nos itaque cum loquamur nunc & differamus de priori, respondet *Beza* incommodissimè de posteriori per crassam ignorationem Elenchi. 2. Nec quenquam turbabunt voces *Judai & Gentis*, cum id sit Apostolo valdè familiare atque solemne, hoc pacto totum genus humanum dispertiri. 3. De altitudine divitiarum paulò ante respondi. 4. Prævisionem Dei, esse causam *ωγεναι* *καταραξικην* decreti damnationis statuerre, horribilis adversariorum blasphemia est; Præterquam quod in superioribus demonstratum sit perspicuè, prævisionem

nem Dei, in nudâ speculatione quoad malas actiones hominum terminari.

§. 7. Pergit Beza d. l. Deinde quum hoc in loco Apostolus ἀπεδείξαι (quam rectius D. Andreas verisset contumaciam quam incredulitatem, quum illa latius quã ista pateat) statuat pro termino à quo omnes isti ad misericordiam ac perinde ad fidem vocantur: contumacia verò prædicationem cui contumaciter resistitur includat, quam D. Andreas de solâ Evangelii gratiâ intelligit: tunc demum verum fuerit istud ipsius de singulis hominibus ut Evangelii contemptoribus consentium, quum probaverit, verum esse singula tot prophanorum populorum hominibus, tunc, immò ab ævo condito, promulgatum fuisse Evangelium, qui ut idem Apostolus scribit ad Ephes. erant alieni à republica Israelis, extranei à pactis promissionis, spem non habentes, & Dei expertes in mundo. Sed & Iudaos singulos an existit iste dicere fuisse Evangelica prædicationi rebelles? Nihil ergò minus dictum voluit Apostolus, nec istud quicquam ad propositam ab ipso questionem de vocatione gentium & excisione

Iudaorum pertinuit. Sed hoc significavit,
 tum gentium vocationem, cuius principus
 minister fuit Apostolus, tum Iudaica Gens,
 tum quidem quum hac scriberet Apostolus, ex-
 scindenda, postea verò tandem instauranda
 restitutionem à merâ Dei misericordia pro-
 ficisci. Tunc enim Gentes ad Evangelii
 gratiam fuisse vocatas, quum nihil minus
 essent quam ipsi obsequentes, Dei videlicet
 veritatem, de quâ loquitur Paulus Rom. 1: 18,
 in injustitiâ decinentes: Iudaos autem Deum
 suo tempore restitutum, quantumvis insi-
 gnu contumacia reos, & quidem utrumque
 facturum planè admirabili consilio: abusurâ
 nimirum ipsorum Iudaorum contumaciâ ad
 Gentes ipsorum loco substituendas: & contra
 per Gentium obedientiam Iudaos ad ipsas a-
 mulandos & Evangelium quoque recipien-
 dum, suo tempore provocaturum. Ista verò
 omnia quorsum ad D. Andrea somnium?
 Nam etiamsi, non obstantibus istis, vera esset
 ejus interpretatio: tamen oporteret omnibus
 seculis singulos omnium gentium homines
 fuisse primum ad Evangelium vocatos, cui
 singuli quoque restituerint, à qua increduli-
 tate

tate postea vocati ad misericordiam fuerint, immò, misericordiam consecuti, omnes enim eos quos dicit Paulus fuisse in contumaciâ conclusos, ut eorum omnium Deum misereretur, dixit antea partim quidem ἐλεῆθῆναι id est, misericordiam consecutos, nempe Gentes: partim vero nempe Iudaos, suo demum tempore ἐλεῆθῆσθαι, id est, misericordiam consecuturos: quod omnibus atque singulis hominibus tribuere (trahit enim hæc D. Andreas ad aeternum Dei decretum, quod unum & idem semper fuisse necessum est) quàm ridiculum sit quis non videt? Præterea, si ejusmodi rebellio adversus Evangelium oblatum, quæ pessima est incredulitatis species, prævisse dicatur in singulis hominibus, vocationi ad misericordiam: duæ nimirum in singulis hominibus statuenda fuerint vocationes, in quarum medio statuenda fuerit ἀπειθεῖα: quod rursus absurdum est & ridiculum, ut ex plurimis eorum exemplis constat, quibus datum est vocantem Deum statim sequi. Insuper quomodo cum hac sententiâ cohererebit, discrimen quod paulo ante nempe observatione in locum 1. Ich. 2. inter alios

alios peccatores & per inerdulitatem pec-
 cantes constituit? Quod videlicet illi qui-
 dem sic peccent, ut ipsis aliquâ ratione suc-
 curri possit, nempe fide: illi vero propterea
 damnantur, quoniam aliâ ratione illis succurri
 non potest, ut qui liberatorem respiciant? Nam
 ecce contra Apostolus hoc loco, si vera est
 ipsius D. Andreae sententia superiori repu-
 gnans, singulos hominum dixerit prius oportere
 esse contumaces, quàm ad misericordiam
 efficacitè vocentur. Denique ut omnes ob-
 servent quàm supinè & negligenter obser-
 vationes ista sint à D. Andreae conscripta:
 quum ego in meâ responsione ad objectum
 mihi locum ex Rom. 11: 32. respondiissem.
 Iste transit ad locum alterum, nempe Gal. 3:12.
 Sic unum cum altero commiscens, ut sive per
 oscitantiam, sive sciens prudens extremum
 locum ex Rom. 11. Substituatur ejus vice qui
 in Epist. ad Gal. scribitur, quæ interpretatio
 maximi est momenti. Nam cum Romanis
 scribens dixisset, ut omnium misereatur,
 ad Galat. scribit ut promissio ex fide Iesu
 Christi detur credentibus: quibus verbis
 Paulus universitatem eorum quos Deus
 con-

conclufit ſub contumacia, non ut in eâ perirent, ſed ut inde ad miſericordiam vocarentur, ad ſolos credentes reſtringit. Non eſt autem omnium fides, ſed eorum demum quas trahit Deus: nec volentis & currentis, ſed miſerentis Dei, qui quorum vult miſeretur & quos vult indurat. At cur non potius, inquit D. Andreas, ſcripſit Apoſtolus, Conclufit quosdam, & ut quorundam miſereatur? Nempe quoniam non de ſingularibus perſonis, ſed de Electis Universaliter, tum ex Gentium numero jama vocatis, tum ex ludæis ſuo tempore reſtituentis, & in unum cum Gentibus corpus coalituris agit.

§. 8. Reſpondeo ad reſponſionem Beza, & quidem:

1. Ad illud: Paulum uti in græco textu non voce incredulitatis ſive peccati, ſed ἀπειθείας: CONTUMACIÆ: contumaciam vero includere prædicationem, cui reſiſtitur: Nunc omnibus non annuciari Evangelium, Ergo neque omnes ſub contumaciam concludi, ſed illos quibus annuciatur.

Atque

Atque hanc ἀπειθεῖαν, sive prædicationi oblatæ resistantem contumaciam esse terminum à quo omnes isti ad misericordiam & fidem vocentur.

Et α. Absurda & inutilis, ô bone Deus, hæc hominis eruditi glossa, ne dicam impia, imò tandem blasphema est. Etenim si ἀπειθεῖαν includit Evangelicæ prædicationi resistantem contumaciam, atque ea sola terminus à quo putandus est, eorum omnium qui ad misericordiam & fidem vocantur: Sequitur omnes quorum miseretur Deus, oportuisse annunciato verbo contumaciter resistere, & qui non resistent, eorum Deum non velle misereri: quippè quia contumax prædicationi repugnantia Theodoro Beza, est terminus à quo, eorum quorum Deus vult misereri.

Et β. At utrique huic Commento è diametro contradicit Apostolus Paulus, Act. 13: 46. *Vobis, inquit, oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, ecce, convertimur ad Gentes, & v. 48. Audientes Gentes gavisæ sunt, &*
glori-

glorificabant verbum Domini. Num igitur gentes verbo annunciato resisterunt? vel, num quia non resisterunt per ἀπειθεῖαν, eorum Deus Opt. Maximus non est misertus? Hæc demum adversariorum sapientia mihi dicenda erit ridicula si unquam alia.

R. γ. Sibi ipsi contradicit Beza, dum in seq. pag. 224. proprium commentum convellit his verbis: *Ut ex pluribus eorum exemplis constat, quibus datum est vocantem Deum statim sequi.*

R. δ. Oppidò falsum est ἀπειθεῖαν, solam adversus Evangelium contumaciam significare, cum divus Apostolus eos quoq; filios τῆς ἀπειθείας appelleret, quibus Evangelicæ prædicationis lux nunquam illuxit, Eph. 1:2. & 5:6 Col:3:6.

R. ε. Postremò, quid hoc loco per ἀπειθεῖαν sit intelligendum, indubias testis est ipse idem Paulus, Rom. 3:9. Gal 2:22. ubi eandẽ exponit per ἀμαρτίαν, quæ omnem inobedientiam contra legem Dei complectitur.

S. 9. Respondeo: 2. ad illud: *Admirabili*
con.

consilio Deum abusurum ipsorum Iudeorum contumaciâ ad Gentes ipsorum loco substituendas, &c. Nimirum latere in his verbis ὑπερλόνη, quasi faceret ille optimus Deus è diametro adversus illud Apostoli, Rom. 3:8. *Imprecantis maledicta dicentibus: Faciamus mala ut eveniant bona.* Id est, peccemus in illustretur gloria Dei: Quamvis autem expressè non audeant adversarii dicere Deum peccare; quid tamen aliud est, criminari Deum esse causam peccati & contumaciæ, quam eundem statuere peccatorem?

§. 10. Respondeo 3. ad id partim ἐλεηθῆναι, id est, misericordiam esse consecutos, nempe Gentes; partim vero, nempe Iudeos, suo demum tempore ἐλεηθῆσεσθαι, id est, misericordiam esse consecuturos, quod omnibus aetatibus & singulis hominibus tribuere, ridiculum, &c. Nimirum 1. Non esse absurdum vel ridiculum ab inductione exemplorum, regulam constituere universalem. E. g. Vinum Hispanicum, Rhenanum, Gallicum, &c. calefacit. Ergò, omne vinum calefacit. Sic

Sic hoc loco: Gentes quæ salvatæ sunt, sunt misericordiam consecutæ, Judæi qui salvabuntur, misericordiam sunt consecuturi: Ergò omnes & singuli homines salvati & salvandi, misericordiam Dei sunt consecuti & consequentur, siquidem scriptura sub divisione Græcorum & Hebræorum, seu Judæorum & gentium, includit universum genus humanum, dicere verò hoc non involvere & suo ambitu comprehendere omnes & singulos, id mihi demum videtur ridiculum, imò planè contradictorium, & Moris esse Apostolo in hoc capite ut & alibi, modo à Thesi descendere ad hypothésin, modò vicissim ab hypothési ascendere ad thesin. E. g. v. 29. 30. *Sine penitentiâ sunt dona & vocatio Dei, sicut aliquando & vos non credidistis. Item v. 35. 36. Quis prior dedit illi & retribuetur? Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, &c.* 3. Argumentor: Quorumcunque Deus est misertus, hos cõclusit sub incredulitatem. Atqui mi-

tertus est omnium maximè fidelium,
 1. Tim. 4. Ergò omnes conclusit sub
 incredulitatem, etiam fideles quip-
 pe quorum maximè salvator est, actu
 scilicet, quod RIDENS Beza maximè
 debuisset observare. 4. Tandem
 ut ridebant Judæi *mendaces, Veracem,*
 Matth. 9: 24. Ita Beza *Andreanus*.

§. 11. Porro, neque absurdum ortho-
 doxo est, dicere *ἀπελάθειν* præcedere
 etiam istam vocationem eorum, quibus
 datum est vocantem Deum statim se-
 qui, scilicet *potentialem* seu *resistentiam*
naturalem, quam interdum prius non-
 nunquam serius expugnat gratia vo-
 cationis, nonnunquam etiam in expu-
 gnatam deserit propter indurationem
 & resistentiam nimiam, Matt. 11: 20. seqq.
 c. 23. Ideoq; non sibi contradicit D. An-
 dreas perseverans in eâ sententia sin-
 gulos homines prius esse contumaces
 quam ad misericordiam *Efficaciter* vo-
 centur. Ubi tamen *Calvinismus* crassus
 latet in voce *efficaciter*, sapit enim im-
 pietatem de vocatione *inefficaci*, quam
 nos

nos Calviniano sensu intellectam repudiamus.

§. 12. Quod attinet locum Gal. 3: 22. *Conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Jesu Christi datur credentibus.* Ubi Judice Beza, Paulus universitates eorum, quos Deus conclusit sub contumaciâ ad solos credentes restringit. Respondemus: 1. Ex hac illatione sequi, solos Electos fuisse contumaces, quasi Apostolus dixisset: conclusit omnes Electos sub peccatum, ut illos salvaret. 2. Hac detorsione misericordiam Dei in Christo declaratam nimium coangustari, & totum salutis nostræ catholicismum destrui, dum sic quis ad desperationem trahitur. 3. Sed hoc velle in utroque dicto Apostolum: Deum omnes & singulos homines in scriptura legis convincere peccatores esse, ut omnes quicumq; eliguntur, iidemq; justificantur & salvantur, deprehendantur salvari non propriis viribus aut meritis operum, sed solâ Dei misericordiâ fide in Christum apprehensû, sive fuerint Judæi sive gen-

tes, quod patet ex illo Rom. 9: 15. 16.
*Cujus misereor ejus misereor, non enim est
 volentis aut currentis, sed miserentis Dei.*

§. 13. Adscribam etiam integram Bezae
*Antithesin secundae observationi D. An-
 dreæ oppositâ, cujus verba sunt hæc seqq.
 p. 25. seqq. Ad 2. Nihil hic crepat meus
 adversarius præter anathemata adversus ipsos
 etiam angelos, si fortè ob ipso disenserint. At
 ego Deum precor ne ipse potius audiat aliquando
 ex ipsius ore, qua mensura dimensus es alios,
 ego te metiar. Unde verò tandem profecta est
 tanta istius indignatio? Nempe, quod ex illis
 verbis, conclusit Deus omnes sub contumacia,
 collegi, nec temerè, nec invito Deo homines,
 istam miseriam, sua tamen ipsorum, non
 Dei culpa, incidisse. Nec interim quicquam ad
 illam phrasin respondes, neq; ad innumerabiles
 alias multò etiam expressiores, quas suo loco
 protuli. Et plenissimè tum ex locorum aliorum
 collatione, tum ex August. adversus Pelagia-
 nos disputationibus certissimè et eruditissimis
 explicavi, quæ rursus hic nolim inculcare.
 Quid te verò fiet, miser Augustine, immò
 etiam quid te D. Luthere, si corâ D. Andreæ*

tribunali steterit? Sed ad rem. Quicquid, inquit, Deus prohibet, hoc non vult ut quisquā faciat. Sanè quicquid prohibet, malum est, nec Deo summè bono placere potest. Neq; hoc quisquam pius negarit. Sed plurimum ista inter se differunt: Legem per se & absolutè qualis est in sese, & quatenus ab hominibus impletur vel non impletur considerare. Semper igitur ex lege Dei quid ut rectum approbet, ut peruersum improbet, (quam voluntatè suam Deus in lege potest fecit) intelligimus. Quo vero spectet Deus, his vel illis pronuntiari, non tantum legem, sed etiam Evangelium suum iubens, ex illa sola externa denunciatione colligi nequit, sed ex effectibus demùm consequentibus id est à posteriore intelligitur, quod superioribus disputationibus abundè me pro, asse confido, paucis autem nunc rursus attingam.

Si quoties Deus aliquid prohibet, id fieri non vult à quoquam, certè, fieri vult quod jubet. Nunquam autem aliquid prohibet, quin contrarium jubeat: Nec quicquam jubet quin contrarium prohibeat. Cedo verò, quum præciperet Abrahamo, ut Isaacum mactaret, ac proinde vetaret ne illi parceret: num Isaacum mactari

volebat, Iſoaco parci volebat? Num perdi Nih
 veritas, eo quod juffit à Jona renunciari: num
 mori Ezechiam volebat, præcipiens ei per Eſa
 iam ut ad mortem ſe compararet? Num vole
 bat à Pharaone dimitti populum, quem id eſt
 per Moſen mandaret, & tamen ipſius improbi
 tatem non modo non mutaret, ſed etiam, gloria
 ſua cauſa, in illa malitia per ipſummet cor in
 duraret? qua de re ſupra diſſeruimus, cum vo
 luntatem ſigni a voluntate beneplaciti inter
 dum proſua diſſidere, nec tamen Deum pro
 pterea culpari poſſe oſtendimus. Caterum ut
 generalius loquamur, num legem mandavit
 populo ſuo, & quotidie præcipit, ut eam plene
 quæquam impleat? Et tamen plenam præcipit.
 Et cum promiſſiones legales audimus, an illas
 vult à nobis præſtari? Nihilominus. Nec enim
 unquam conſtituit ſuos per legem ab ipſis præ
 ſtitam ſervare. Mandat igitur etiam ali
 quid quod fieri non vult, & promittit etiam
 aliquid quod præſtare non vult: nec homines
 propterea ludificatur. Nam homines è con
 ſuetudine, quæ audiunt à ſe peti quod implere ne
 queant, & ſibi interdici, à quo abſtinere non
 poſſunt: & promiſſionibus quidem addi vident
 conditionem ſibi aduſor, cum minus autem

contra coherere conditionem quam effugere
 non possint: necessariò, nisi sint prius mente
 capti, animadvertant oportet non alio consilio
 sibi divinitus proponi legem, quam ut redar-
 guantur, & in viti quoq; perterresiant: In hoc
 autem terrore, nisi peculiari gratia velut ex
 inferis educantur, vel in desperationem ruunt,
 vel magis ac magis suã ipsorum improbitate
 indurantur. Num quaeso, absq; Dei justis iudicij
 consilio, & voluntario decreto? Quod si Deus
 illum peccati per se lethalem morsum conver-
 terit in eor contritum & humilitatum coram
 ipsius facie, vulnere postea oleum illud Evan-
 gelica gratia inspersurus, tum immutatus ho-
 mo Dei precepta audiens, experitur alio sibi
 quam antea consilio Dei legem rursus incul-
 cari: nempe non magis quam antea ut plena
 ipsius praestatio servetur, sed ut pro viribus,
 quas à Deo accepit, carnis suae reliquiis repu-
 gnans, secundum illam Dei voluntatem ambu-
 let. At vires istas si putas D. Andreas homines
 habere à natura, totus Pelagianus est. Si par-
 tim ex natura, partim ex gratia, Semipelagia-
 nus: quod neutrum tamen velim illi ascribere,
 quamvis non videam quanam ista ex ipsius
 dogmate necessariò non consequantur. Nam

si hanc gratiam singulis vult offerri, rursus
 eadem questio recurret, ut jam antea ple-
 nius ostendi: cur videlicet hac gratia sit in a-
 liquibus efficax, in aliquibus non item: quod
 discrimen vel ex natura oriatur in solidum,
 vel ex gratia quidem, sed inaequaliter distri-
 buta: nec Deus erit expers culpa in hac ina-
 equalitate, si naturalis destitutio omnium virium
 ad bene cogitandum. Et agendum ad justam
 hominis damnationem non sufficit. Sed prae-
 terea ut Deus culpa vacet, offerri singulis oportet
 gratiam, cum aliqua ipsius recipienda possibi-
 litate: responsaturus alioqui peccatoribus cur
 ab ipsis exigat quod sciat ab ipsis praestari non
 posse: Et cur ipsos condemnet propter id ab illis
 non praestitum, cuius praestandi facultatem ipsis
 non dederit. Perinde ac si, ut agebat profanus
 ille infelicis memoria Castellio à bubus flagita-
 ret Deus ut volarent. Os impudens! quasi haec
 hominis impotentia ad bonum. Et capivitas
 sub malo, sit a creatore, ac non ab eo qui à crea-
 tore suo sponte defecit. Quid? quum peccata
 quoque inter peccatorum poenas censentur, annos
 quoties Satana et malum instrumentum, non tan-
 tum facit quiddam agendi potestatem (quam-
 vis novam malitiam illis non inspirando, tamen
 illa ut

illam quam in ipsis invenit bene movendo) sed etiam illis, quid actura sint praescribit, illa ciet, excusat, & efficacia reddit, annon vult illa agere quod agunt? Agunt autem omnia legum praecipis interdicta. N. q. hic valet ista distinctio, inter actionem & actionis vitium, & in uno opere duplex opus unum Dei ut instrumento malo bene utentis, al. rum ipsius instrumenti non jam ut instrumenti, sed ut cause. Nam satis nunc est probasse Deum sapere minimè fieri per aliquem velle quod in lege vetat, & contra fieri nolle quod in lege praecipit ut D. Andrea anathematismo non tenemur. Quod autem dixi de lege, multo manifestius & multo magis de fide & Evangelii gratia sentiendum est. Lex enim multo pluribus quam Evangelium loquitur, ut pote quam ipsa natura in cordibus omnium ratione praedictorum, quod ad notitiam ipsius attinet, insculpsit: & nonnullum alicujus honestatis naturale desiderium in eis superest qui non sunt prorsus deplorati: quae tamen omnia procul absunt à dono Spiritus Sancti regeneratis proprio. Specialior est ergo multo Evangelii gratia, quam si somniat adversarius noster, aut singulis unquam fuisse oblatam, aut nunc offerri, aut unquam offerendam, vel

sola experientia, qua stultorum magistra est, redarguetur. Quod si vanissimum istud delirium hoc etiam errore cumulet, ut sentiat omnibus, quibus id offertur cor aperiri, ut attendere posse velint: Et aures ad audiendum dari, ut audire queant Et discere, doceat igitur omnes à patre trahi, filium sese omnibus revelare, datum quoque fuisse turbis, ut mysteria regni Dei noscerent. Duplex autem illud testimonium, quod ex primo tractationum mearum volumine pag. hujus collationis 551. mihi opponit, ea qua uti solet fide, ab adversario meo descriptam est. Nec enim usquam dixi quod ipse mihi adscribit, miro Et incomprehensibili modo placuisse Deo, Et voluisse Deum ut primi nostri parentes peccarent. Sed hoc scripsi totidem verbis pag. voluminis illius 179. lapsam illum (alibi vero dixi, cur non peccatum sed lapsum dixerim) ita a voluntario Adami motu profectum, ut tamen non invito Deo acciderit, cui miro quodam Et incomprehensibili modo placet, ut id quoque quod quatenus peccatum est non probat, non tamen sine ipsius voluntate eveniat. Sic autem explicare planius studui quod ait August. nempe miro Et ineffabili modo fieri ut non fiat præter Dei voluntatem, quod fit contra Dei voluntatem.

Locus autem alter ex pag. ejusdem voluminis 191. meliore quidem fide exscriptus est, sed ab illo astute detortus. Nec enim simpliciter & indefinite scripti, ut iste vult in Reprobis, sed in nonnullis ex reprobis intelligentiam excitari ad percipienda & credenda qua audiunt: quod tam verum est de generali & historica fide, diabolus etiam ipsis communi, ut ibi explicor, quã falsissimum est singulis reprobis hanc gratiam fieri, ut adversarius meus contendit.

Et hic mihi quidem plenissimè respondendum esset ad impudentissimam illam calumniam quam in me totis paginis 551. & 552. effundit, quod videlicet Beza doctrina usum verbi Evangelii & Sacramentorum prorsus tollat: esset, inquam, plenissimè mihi ad hanc calumniam respondendum, nisi jam antea, tum in collatione de Baptismo pag. 66. & 83. tum in hoc predestinationis tractatu, quomodo sit ex vera & solida doctrina conscientia de sua electione dubitantibus consulendum offendissem: qua de re tamen cogit me rursus hominis istius importunitas non nihil dicere. Facis inquit, promissiones omnes particulares id est, ad electos tantum pertinentes, de quibus Deus occultum aeternum decretum fecerit, quod eos, tan-

tum servare velit. Quis igitur tibi diceret, aut unde scias an sis in numero electorum aut reprobatorum comprehensus, cum in gravissimis illis tentationibus conscientia de illis ipsis Sp. S. testimoniis & ejus moribus dubitet, ad quos illas remittis? Hac ille in summa, ex quibus ille concludit pag. 558. piis omnibus cavendum esse ab ea doctrina, gignendis novis erroribus tam fecundâ, ut hominibus non solum Substantiam & usum Sacramentorum verum, sed etiam totum Evangelium una cum Christo eripiat, & eos omni consolatione privet. Et hoc scilicet est placidè disputare, non autem convitiari. Cedo verò quasnam iste consolationes ejusmodi, tentationibus opponit? Eas profectò quas Facilè non Sathen tantum ferat tentatis de sua electione proponi, verum etiam ipsemet suggerat, ut vel falsâ fide nitantur, vel in altius desperationis baratrum ruant. Vult enim D. Andreas semel tolli particulare decretum electionis, quod invidiosè & falso sensu occultum vocat (ut mox ostendemus) id est ipsam electionem, quo quid tandem Sathane fuerit optabilius, quum non alio fundamento fides & spes nostra omnis nitatur, quam aeterna & immutabilis electionis nostra certioratione?

Teste

Teste passim Paulo, & praesertim Rom. 8:29 11.
 1. Cor. 2. 16. Epb. 1. 5. 2. Tim. 2. 19. 1. Pet. 1. 2.
 Immo quum non eligat qui singulos nullo
 prorsus excepto trahit: si stat haec D. An-
 dreae doctrina certe vel dulcissimum illud
 electionis nomen ex sacris literis expugnatur
 oportet: vel si illos demum eligere dicatur
 Deus, qui universalem illam externa vocatio-
 ne oblatam gratiam receperint, prius vocabun-
 tur homines quam electioni destinentur Et
 ita pervertenda fuerit omnium nostrae salutis
 causarum series. Et praeterea pendebit haec e-
 lectio ab hominum ipsorum arbitrio, si tribui
 dicatur a Deo singulis hominibus potestas cre-
 dendi vel non credendi, ut fides sit duræque
 singulorum sine exceptione hominum, actu vero
 duntaxat eorum quibus libuerit Deo ad cre-
 dendum, non secunda alicujus particularis
 primam confirmantis, sed primæ illius univer-
 salis gratiae vi cooperari. Quæ omnia cum
 falsissima sint, teste universa scriptura, conso-
 lationem inde peti adversus illos conscientiae
 terrores facile tulerit Sathan, ut tentari se-
 ipsos decipiant. Deinde, si tentato veniant in
 mentem illa certissima, non quicumq; exterius
 vocantur trahi intus à patre: nec filio dari om-
 nes, sed duntaxat credituros suo tempore,
 quod fides non sit omnium: nec filium quibusvis
 revelare Patrem, sed iis demum quibus vult:

Et, quod ipsorum Israhelitarum tristissimo exem-
 plo constat, ne omnes quidem qui promissionem
 auribus audiunt esse promissionis filios, id est
 promissioni destinatos: multos vocatos paucos
 electos: nec verius esse posse, singulos exterius
 baptizatos aqua, esse Spiritu baptizatos, quã
 circumcisos singulos carne, fuisse quoq; corde
 circumcisos: quinã sibi persuadere potuerint,
 falsam illam universalis sive electionis (quod
 sane dictur ridiculum est, quum eligere dici non
 possit quapiam qui nullos rejicit) sive vocatio-
 nis gratiam, quam toties jam dixi, nisi ad so-
 lam universitatem electorum restringatur,
 debere potius indefinitam dici? nempe ut sic
 noverimus omnes illas circumstantias, quæ
 εὐεσῶπις nomine in sacris literis intelligi con-
 speverunt, ut Gentium, Sexus, ætatis paucorum
 vel multorum gravium vel leviorum peccato-
 rum, quũ agitur Dei de misericordia cessare,
 nec fidem & spem nostram ullo modo, remorari
 vel impedire debere. Deniq; quum non usque
 adeo firmam illam universalem commenticiã
 gratiam esse doceat D. Andreas, quin ab ea
 possit quisquam excidere, ut qui ἀπετημῆδην
 illam esse neget, & amitti penitus posse Spi-
 ritum adoptionis contendat, ut in tractatione
 de Baptismo audivimus: an non ipsemet, qua-
 so, quicquid antea superstruxerat, hoc do-
 gmate subvertit, si negotium illi sic cum eo,
 qui

qui se à fide & gratia Dei excidisse sibi persuadeat? Quam igitur ista vana & frivola sint nemo non videt, quibus quæ sint opponenda ex puro Dei verbo deprompta: & quomodo sit prædestinationis doctrinæ usus applicandus: sive undè petenda: & quomodo revocanda sit electionis certioratio, plenissimè, ut modo diximus, in tractatu de Baptismo studuimus explicare. Tantum nunc christianum Lectorem velim, duplicem istius hominis errorem de particulari, quam vocat, electione, & occulto Dei decreto animadvertere. Enimverò si particularem illam vocat, quæ ad singulos sine exceptione homines pertineat, non ego sed ipse fuerit hujus particularitatis reus. Sin verò particularem appellat, quam universaliter propositam oporteat singulos audientes sibi particulariter applicare, id ipsam facit quod in me reprehendit: eo tamen excepto quod ille & quidem, falso universitatem istam ad totum humanum genus, nullo prorsus homine excepto extendit, ego verò ad solos electos suam & ipsos universitatem constituentem cum Sacris literis restringo. Et quis hic non miretur hominem istum eò usq; tuenda istius sue sententiæ studio abreptum, ut non animadverteret quod de universali ad singulos sine ulla exceptione homines pertinente prædicatione opinatur, locum habere in sacramentis non

pos-

posse? nisi fortassis istud etiam ausit affirmare, singulis totius mundi hominibus offerri baptismi & cena Domini participanda gratiam. Sed de hac re plus satis. Occultum autem illud æternum Dei decretum, quod iste ferre non potest, quo tamen sublato omnis Dei providentia, atque ad eò Deus ipse necessario vel tollitur, vel a mediis causis (suspenditur) sæpè jam diximus occultum à nobis vocari, primum quoniam omnes medias causas sine exceptione antegrediens, immò illas ipsas omnes medias causas sibi subordinans, à merà illà Dei voluntate pender, cujus altitudo inscrutabilis est, & ab ipsis etiam angelis adoranda. Deinde quòd non nisi à posteriore, id est, per effecta nobis patefiat, & tunc demum nobis esse occulta xalà τὸ ὄν desinat, quæ patefactio nobis sufficere debet, ac plenè sufficit: videlicet a fidei & sanctificationis fructibus, id est, a dispendentia peccati & Operibus Spiritus ad justificationem & veræ fidei ἀπετημὲν ἔργων donum; inde ad interiorem vocatiõem, cum externa, id est, verbi prædicatione, & Sacramentorum administratione conjunctam: ac deinceps ad certissimam & omni quantumlibet vehementi tentatione inexpugnabilem in Christo prædestinationem ascendentibus, ut de certò securà nostra glorificatione certi, jam nunc pacem in conscientiis nostris habeamus.

Ad

Eximium, vitæque integrum, artium Libera-
lium cultorem, qui meus, Dei ope, nunc
erit Respondens,

JOHANNES CANICEL

Αναγοραματιζόμενος

SILE? CANO: ANNE HIC?

A NNE abolent, SILEas? Hic Vos
edicite, Christum,

Qui faciunt curtum? Sic CANO:

BEZAIDÆ.

L. M₃.

P R Æ S E S.

Sacris, humanioribusq; studiis Politissimo
Juveni,

DN. JOHANNI KUNZEL

Regiæ hujus Acad. Alumno studiosissimo,
Exercitationem hanc Theologicam Respon-
dendo defendenti; amico sincerè dilecto,
eximios progressus gratulari
vojui:

Dum sacra mundanis meleremata jungis,
amice,

Rectè agis & duplici laude vebendus eris.

Nam sinè divinis studijs labor irritus omnis.

Concidit: illa anime sunt medicina pia.

Illæ Deo sociant homines, junguntq; beatis
Mentibus & patrio pectora sancta polo.

Gele-

Cætera dum pereunt, cælestis gloria verbi
Per manet, eterno & vibrat honore caput.
Gratulor ergo pijs studijs, doctissime Rantell
Et precor, ex alto ut mitia fata Deus
Successusq; illis felices donet, ut alma
Christi Ecclesiola fulgida stella mices:
Atq; animas multas lucreris in orbe; fidelis.
Servus ut extremo concelebrere die.

L. Mq; licet extemporalis curâ,
MARTINUS MILTOPÆUS.

Επιτεγμνα

In Disputationem Theologicam

Quam

In Regia Universitate Aboënsi

Respondendo defendet

DN. JOHANNES RANTELL

S. R. M. Stipendiarius.

IMpius inculsat Calvinus Te Deus, ac sis:
Causa mali, ignorans quod Cacadæmo-
nis est

Astus, qui mundo mala contulit omnia
quondam,

Semina nec cessat spargere nunc eadem.

Pœnas factorum male, mittit justus Iova

Sed mala non fiunt prava volente Deo.

Discutit hæc Rantell tua Disceptatio præsens

Pluribus, & solvit suspicione mali

illum,

Illum, qui solus bonus est, bonitatis origo
Primaque, qui fecit quæ bona facta vides.
Sic argumentis errorum conficis hydras
Firmis, & quæ sint dogmata vera doces.
Hinc sperat quondam fructus Ecclesia Christi
Magnos, quæ in sacris audit ovile Dei.
Qui fuerit Pastor vigil hic semperque fidelis,
Sidus inocciduû hunc pagina sacra vocat.

*Quod subito quidem, affectu tamen
benevolo dedit*

JACOB. FLACHSENIUS.

Semina qui cultos mittit corrupta per agros
Hic spe frustratur fructibus atq; caret.
Sed bona si spargit, zizania surgat & inde,
Seminiis hunc causâ carpere nemo potest.
Sic causamq; mali Numen qui dicere tentat
Summum, qui fecit cuncta creata bona.
Hic operam perdit, Vesanusque esse laborat,
Et se sub stygios deprimat ipse lacus.
Te laudes Rantel; te gloria magna sequetur,
Quippe Deum solvis suspitione mali.
Apprecor in studiis successum & fata benigna?
Det tibi cunctipotens prospera quaq; Vale!

Exanimo gratulari
volui

SVENO M. Drelgreen.

Noscitur ut cantu rostroque monedula
rauco;

Ungvibus atque animal proditur usq; suis;
Sic homines pravos retegat truculencia lingvæ
Blasphemæ, scelerum nulla latere facit.

Vapulat Hæretico Calvinus nomine; consors

Ejus Castra sequens in ratione mali est.

Hos sub præsidio nostri prosternere primi

Theiologi saragis; Macte labore pio!

Kantel/ progressus tantostibi gratulor, Ecce!

Præmia digna dabit summus Apollo Tibi.

Gratulatur &

vovet

GUNNARUS Grahn.

Martius ut miles letus prorumpit in
hostes,

Sperans se facili vincere posse manu;

Nec frustra sperat, melior dum causa trium-
phat:

Sic animo Kantel, obvius ire cupis

Hæretico pravo, qui sciomata plurima fingit;

Atque Deum causam somniat esse mali.

Hunc tu non ferro, sed verbo pellere tentas;

Vincere nec dubitas, adstipulante D.o.

Macte piis ausis ceptisque! soloque pologue.

Posthac, quæ cupies, præmia, crede, feres!

Ex animo gratulari
voluit

NICOLAUS HagbWann.